



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi  
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo  
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

**Crombach, Hermann**

**Coloniæ, 1645**

Caput 14. Puritas mentis & horariae adspirationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14591**

accipiatur pannus albus, id est, nullo tinctus colore, sed candidus & niucus, isque satis laxus, ut insterni possit capulus. Permitto tamen 16. ad summum fersa imponi per modum crucis, id est, decem pro linea recta, sex pro transversa. ] Sed ne vanè gloriari de ea virtute videretur, ultimis tabulis causam candidi operimenti tumbræ prætermisit; constat verò postremis annis vitæ magnū ad tēporis illius perfectionem cumulum virtutum adiecisse, ac indies magis magisque fuisse sollicitum, ne tanti thesauri nimia sui præsentia (quod etiam sanctissimis viris nouerat euenisse) naufragium in portu faceret.

*Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

#### C A P V T XIV.

*Puritas mentis & horaria adspirations.*

**N**Ec minùs mentis puritatem, quàm corporis integritatem sectabatur, sollicitus non tantùm ut grauiora, sed ut ne leuiora quidem sciens prudēs patraret errata. Non inanis est præsumptio, cum innocentiam conseruasse saluâ baptismali gratiâ, nec eam per lethale peccatum perditam, multum ad naxos etiam leuiores

res cauendos non tantum ei vespertinum  
examen conscientiae, sed horaria recensio  
factorum contulit, pro qua feruidas sele-  
git ad Christum adspirationes.

ADSPIRATIO HORARIA AD IESVM.

*Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam  
in mortem, ne quando dicat nimicus meus,  
Fraus est mihi aduersus eum.*

*Ego dixi, Domine miserere mei, sana ani-  
mam meam, quia peccaui tibi.*

*Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum,  
quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

*Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt in-  
habitẽ in domo Domini omnibus dieb. vitæ meæ.*

*Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc  
& vsque in seculum.*

ALIA.

*O bone Iesu, propitius esto mihi peccatori;  
Amo te, & doleo ex toto corde, quia offendi te,  
qui pro me dignatus es in cruce mori.*

*O Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ,  
tu nos ab hoste protege, & in hora mortis suscipe.*

*O Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi  
commissum pietate superna hac hora illumina,  
custodi, rege, gubernas.*

Vt

Vt se ipse confunderet, languentem excitaret, & ne de innocentia (si eam conseruasset) vanè prælumeret, in Breuiario circumferebat eam S. Gregorij sententiam: [Fit plerumque gratior DEO amore ardens vita post culpam, quàm in securitate torpens innocentia.] Oraturus etiam, vt puritatis animi memor esset, hoc sibi prælegebat dictum Isidori:

*Isid. Ety-  
mol. 6.*

[Sicut nullum proficit medicamentum vulneris, si adhuc in eo ferrum sit, ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolus in mente vel odium manet in pectore.] Nec dubitabat suis exilibus nauis attribuere præsentium temporum calamitates, eâ sibi præfixâ S. Cypriani sentiâ:

*S. Cyp. ep.  
ad Deme.*

[Miraris in pœnas generis humani iram DEI crescere, cum crescat quotidie quod puniatur?] Hisce SS. Patrum dictis animi puritatem seruare nitebatur, & augere quotidie, quo

Deo cordis habitationem redderet gratiorem & nitidiorem.

\* \*  
\*

CA.